



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 18. Marcelli Astensis Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. retur: Cum vero Aulæ strepitus per
A. C. 1709. horresceret, mox ad suam Diæcesin
 contendens, cunctas vigilantissimi Pa-
 storis partes explevit, summumque stu-
 dium ac vigilantiam in coercendis im-
 probis, Clericorum moribus reforman-
 dis, atque in restituenda Ecclesiæ Di-
 sciplina adhibuit, cunctis exemplo &
 opere prælucens, factus forma gregis
 sui. Erexit quoque pro Nobilium edu-
 catione Seminarium, & pro peccato-
 rum conversione Missionem Apostoli-
 cam fundavit. Post Innocentii XII.
 obitum, quamvis facili negotio suam
 promotionem procurare potuisset, sui
 tamen oblitus, suffragatorum animos
 in Cardinalem Marescotton inclinare
 adlaboravit: solutis autem comitiis at-
 que electo Clemente XI. rursus ad suam
 Ecclesiam reversus, die vigesima sexta
 Maij meritis plenus ibidem decessit, an-
 nos natus sexaginta quinque.

§. XVIII.

Marcelli Astensis Cardinalis decessus.

Vita Card. Non minus ardens sui desiderium re-
 liquit Marcellus Astensis, Averæ
 Neapolitani Regni urbe natus, qui Ju-
 risprudentia, qua maxime excelluit,
 aliisque scientiis excultus, laureaque
 donatus, recusatis nuptiis Sacrae mi-

pag. 113.

litiæ nomen dedit, atque ab Innocen- Sæc. XVIII.
tio XI. utriusque, ut vocant, *signaturæ A. C. 1709.*
referendarius, & ab Alexandro VIII.
Auditor Pontificius, Vaticanæ Ecclesiæ
Canonicus, ac demum ab Innocen-
tio XII. Apostolicus apud Helvetios
Nuntius feligebatur, aeris tamen in-
clementiam ferendo impar Romam re-
dux, ibidem Sacræ Episcoporum ac
Regularium Congregationi a secretis,
Pro-Legatus Urbinatis Provinciæ, &
demum Cardinalis Presbyter S. Mariæ
in Montibus nominatus est. Interfuit
sacris comitiis, in quibus Clemens XI.
summus Pontifex salutatus erat, mox
vero Marcellus ad suam legationem re-
versus, ac vigiliis, & jejuniis intentus,
corpus suum variis austерitatibus affi-
due afflixit, pluresque noctes in ora-
tionibus insomnes ducens, Purpuram
cum rudi Capuccinorum sacco commu-
tare saepius decrevit, semper tamen a
Papa prohibitus; expleto demum lega-
tionis suæ cursu ad Anconitanam Diæ-
cesin suam contendit, ubi omnium pene
virtutum exemplar cunctis sese spectan-
dum, imitandumque exhibuit, tandem
valetudinis curandæ studio Bononiam
delatus, ad FF. Prædicatorum Cæno-
bium concessit, ibidemque die undeci-
ma Junii inter Monachorum & Sacer-
dotum preces & lacrimas placidissime

E 3

anno

Sæc. XVIII. anno ætatis suæ quinquagesimo secundo
A. C. 1709. expiravit, tot relictis consummatæ San-
ctitatis argumentis, ut tandem publicos
eidem honores decerni credatur.

§. XIX.

*Ludovici Emanuelis Portocarerri Car-
dinalis extrema.*

Eggs suppl. Pariter hoc anno vitæ suæ cursum ab
Purp. Doct. solvit Ludovicus Emanuel a Porto-
pag. 607. carero Hispanus, qui, quamvis literis
Kettel. Deca. parum valeret, Clericalem tamen ve-
V. p. 590. stem indutus, per omnia Ecclesiæ,
Old. in Add. Aulæ, & militiæ munia pertransiit, ac
ad Ciac. primo Toletani Decani Coadjutor, postea
Mem. de la Archiepiscopus, Hispaniæ Primas, de-
Cour d'E- dum Cardinalis renuntiatus est. Emi-
spagn. nuit tanta ingenii acie, rerumque ge-
rendarum dexteritate, ut conciliata
sibi Reginæ Matris, quæ tum Hispani-
am moderabatur, voluntate, quic-
quid genius dictaret, in Regno posset:
nec minor erat ejusdem auctoritas Ro-
mæ; in comitiis enim, in quibus Cle-
mens X. & Innocentius XI. Tiaram con-
secuti sunt, Cardinalium animis domi-
nabatur, mira etiam sedulitate Au-
striaco - Hispanæ Aulæ commoda pro-
curabat, postquam vero cum Braciana
Ducissa, quæ Tremouillii Galli Cardi-
nalis Soror erat, frequens Romæ com-
mer-